[Ver]ius dici potuisset? Utique enim hic Carbunculus in Principe [e]dita quidem lucet, ut lumen undique suum instar fulgidissimi [S]olis diffundat. Et si latius hic pace vestrâ, Auditores, evagari liceret: quam copiosam vellem exemplorum messem colligere: ut multos haberetis, quos in veræ pietatis studio occupatissimos, miraremini Principes? Sed si ulterius linguæ frena [in] hoc Boni Principis radio laxaturus forem, in immensum fortè verborum pelagus proveherer. Ut enim pueri qui ad aquas ludunt, dum lapillos in stagnum projecerint, magis magisque majores orbes faciunt: ita et mihi, quo plura verba affero, eò plura ad efferendum se offerunt. Quare ego [ab]sistam de priori, et ad alterum pergo radium: quo et ipso [?]ne Bonus fulget Princeps. Est a. â pietate hic proxima eruditio: utpote quâ excultus maximè splendet Princeps, splendore hoc et ipsam exornans Rempubl., et singulas actiones suas, circa agendam vel conservandam Rempubl. occupatas illustrans. Validè omnis quod omninò non ad prudentiam solum, sed et virtutem omnem doctrina, animique ille interior cultus faciat, optimè Optumque ille inter optimos Scriptores, Belgii Seneca, in Not. Polit. monet. Nam etsi utraque illa impetus quosdam â naturâ sumit, perficienda tn. doctrinâ et eruditione est: quum non satis plenè contingat, nisi animo benè instituto et educto. Est alioquin ferox, per se animus noster: per doctrinam verò mollescit, et se frangit, discitque affectus omnes et motus magis habere in potestate, vel planè juxta illud, quod Peligni ruris Alumnus habet

— ingenuas didicisse fideliter artes
Emollit mores, nec sinit esse feros.

Quodque et ipse alibi hoc repetit versu:

Scilicet ingenium placidâ mollitur ab arte
Et studio mores convenienter eunt

Pulcrè necnon ad rem appositè Plutarchus: Nihil magis è Musarum placido commercio homines capiunt, quam quod naturam mitigent et eam ratione ac doctrinâ mansuefaciant, amplectentem ex iis Modestiam, et quod nimis est fugientem. Ita scil. Vir divinus philosophatur, ipseque ibidem